



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

58. De pœnitentibus viris ac viduis sive virginibus qui divertentes laici  
fiunt, aut vestem mutant, vel conjugii copulantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

agat de illusione nefanda, & revertatur ad id quod spondit & in sacro ministerio inchoavit. Nam si consenserimus quòd omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat, & non verè fiat, omnis ordo ecclesiasticus conturbatur, nec catholicæ fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni mago baptismum sacrum fictè suscipere & in Christianitate permansurum se finxisse, cùm per Apostolum fraus ejus detecta, quid sibi futurum esset pronuntiatum est. Ait enim: *Pecunia tua tecum sit in perditione. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum ut fortè remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Ideo tales, nisi resipiscant, spiritali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri; sicut Ananias & Saphira mentiti sunt, & statim perierunt.

De pœnitentibus viris ac viduis sive virginibus qui divertentes laici fiunt, aut vestem mutant, vel conjugis copulantur.

*Toletanum Concilium IV. cap. LV.*

LVIII. Quicumque ex secularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus prævaricantes, laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quòd si aliqui per pœnitentiam inrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur, verè ut apostatæ coram Ecclesia ut anathematis sententia condemnentur.

Burchard. lib.  
8. c. 27.

Non aliter & hi qui tonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua, amissis parentibus, se ipsos religioni devoverunt, & postea habitum secularem sumpserunt, & iidem à sacerdote comprehensi, ad cultum religionis, acta priùs pœnitentia, revocentur. Quòd si reverti non possunt, verè ut apostatæ anathematis sententiæ subiciantur. Quæ forma servabitur etiam in viduis virginibusque sacris ac pœnitentibus feminis quæ sanctimonialem habitum induerunt & postea aut vestem mutaverunt aut ad nuptias transferunt.

De discretione secularium & sanctimonialium viduarum. *Item ejusdem cap. LV I.*

LIX. Duo sunt genera viduarum, seculares, & sanctimoniales. Seculares viduæ sunt quæ adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt quæ jam mutato habitu seculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel Ecclesiæ apparuerint. Hæ si ad nuptias transferint, juxta Apostolum non sine damnatione erunt; quia se primùm Deo voventes, postea castitatis propositum abicierunt.

Ad habitum redire cogatur, & recludatur in monasterio, quæ religiosam vestem abiecit. *Ex registro Gregorij, Vitaliano Episcopo Sepontino.*

Lib. 7. Indiæ.  
1. epist. 9.  
Burchard. lib.  
8. c. 49.

LX. Si custos religiosi habitus aut esse nosces Episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illuc posito, nec projectis religiosis vestibus ad secularem reverti